



# Disputatio medica inauguralis de febre quartana intermittente

<https://hdl.handle.net/1874/345220>

18.

DISPUTATIO MEDICA  
INAUGURALIS  
DE  
FEBRE QUARTANA  
INTERMITTENTE.

QUAM  
SUMMO NUMINE AUSPICE,  
*Ex Auctoritate Magnifici D. Rectoris,*  
M. JOHANNIS LEUSDEN,

Philosophiæ Doctoris, & Linguae Sanctæ in Illustri  
Academia Ultrajectina Professoris Ordinarii,

NEC NON

*Amplissimi Senatus Academici Consensu, & Nobilissime  
Facultatis MEDICÆ Decreto,*

PRO GRADU DOCTORATUS,  
Summisque in MEDICINA Honoribus, Prærogativis &  
Privilegiis, ritè & legitimè consequendis,

*Eruditorum examini subicit*

GEORGIUS HENRICUS RÖMPLER, Longo-Salissa Thur.

*Ad diem 10. JULII, hora locoque solitis.*



TRAJECTI ad RHENUM,

Ex Officinâ FRANCISCI HALMA, Academiæ  
Typographi, clō lōc xciii.

DISPUTATIO MEDICA  
ANNO 1783  
DE  
FEBRE QUARTANA  
IN TERMINANTE.

S O L I  
D E O  
G L O R I A.



TRAJECI ad RHEINUM  
Ex Officina FRANCISCI HALMA, Academicus  
Typographi, ob hoc curavit.



I. N. I.

# PROOEMIUM.



*In* finitis omnino humani corporis Fabrica elegantissima calamitatibus ex justo quidem divino judicio, post factam primorum Parentum prævaricationem, est obnoxia: ita ut quodvis Individuum singularum partium patiatur omnium corporis partium peculiaris & levia & gravia incommoda. Nec unam reperiri liceat symptomatum esse expertem. Quapropter diversa exsurgunt sanitatis nostræ insidiaria detrimenta. Nobilissimus ille corporis nostri balsamus sanguis, cum aliis liquoribus, quibus non expositus est clandestinis corruptionibus? Principes corporis nostri partes & viscera, videmus quotidie ex contracto vitio in expediendis à natura ipsis demandatis officiis ad Individui conservationem necessariis collabi ac vires earundem fatiscere, ut ferè nec numerari multò minus à Medicis docta conjectura investigari, aut

etiam expertissimis remediis & auxiliis citò tutò & jucunde curari possint. Prætereamus jam affectus illos, qui functiones spirituum animalium & officinam illorum affligunt & pessuudant, difficilis omnes ferè & perscrutationis & curationis, quorum numerus satis copiosus interdum sagacissimos Medicos exercet, & eventu optato eludit. Minoris non sunt momenti, qui gravissimis insultibus & cordis & cæterorum viscerum actiones pervertunt, amploque accidentium comitatu œconomiae corporis non sine vitæ periculo ruinam moliantur. Fas fit mihi ex omni hacce malorum turba decantatissimum illud, omnibus quos invadit sat molestum, Quartanae intermittentis detrimentum, quæ uti quidem communis est sanitatis nostræ & insensissimus hostis & aggressor, ita tamen peculiari & quasi per cuniculos agente malitia vires dejicit; ut rarò eandem etiam expertissimis remediis citò debellare liceat utpote morbum illum, qui semper ex insidiis & monstri quid alat. Tentabo tamen per Dei gratiam enormem huncce & obscurum pro viribus delineare affectum ejusque indolem cum causis & curatione simplici adumbrare methodo; inopiam eruditionis & experientiæ, ut suppleat divina benignitas, eruditique Viri conatus meos in tam ardua explicanda materia, ut bene interpretentur, est quod humillime peto & obnixè contendo.

DISPUTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

FEBRE QUARTANA  
INTERMITTENTE.

THESIS I.



Novitatis esset fortèque non arrideret aliis, si recederem à methodò hæctenus corporis consuetà scribendi dissertationem quandam, proin è re visum fuit, investigare *Quartana* denominationem, quæ inde natales sumpsit, dum quartò quoque die hæcce febris cum suis symptomatibus, secundum Individui patientis dispositionem, aliasque circumstantias revertitur & afflictione suâ ægrum invadit: non dissimili modo quemadmodum *Tertiana* intermittens cum suis satellibus tertio quoque die certis aut incertis intervallis recurrit.

I I.

Exactam & omnibus numeris absolutam proponere *Febris Quartanae* definitionem, uti res est abstrusa & multis difficultatibus districta, quæ multis abhinc annis eruditos torset & exagitavit Medicos, ex variis eorundem hoc de affectu planè mirabili conceptis opinionibus; ita me veniam impetraturum spero, si quantum potero & expiscari adhuc licuit descriptionem, proferam accuratioris & generis & formæ perscrutationem limatioribus ingeniis concedens. Omnibus namque abyssum arcanorum humani corporis in expiscando & sanitatis & morborum caractere proprio exactè perscrutari hæctenus non data potestas. Et semper restat occasio ulteriorem eorundem adipisci cognitionem.

I I I.

Describam igitur simplici sermone *Febrem Quartanam* intermittentem,

A 3

tentem, quod sit *motus humorum præternaturalis peculiari corruptionis eorundem qualitate effervescentium, & quarto quoque die certis aut incertis periodis recurrens, functiones Individui primario ledens.*

## I V.

Formam itaque seu Essentiam Quartanæ consistere in motu illo præternaturali quarto quoque die periodico, hac vel illa stata aut citiori aut tardiori affligente viresque & functiones corporis affecti suis symptomatibus interdum multis & sat gravibus, pessundante, confirmabit & massæ humorum corporis omnium singulariter qualitatum perversitas, diversissimis ex causis secundum Individui dispositionem aliasve circumstantias enata, & ipsa Magistra rerum experientia, secundum quam in gravissimis affectibus ut plurimum Idæam & causas morborum dijudicare ratio imperat, cum maximè difficile sit in complicatis symptomatibus propriam & genuinam constituere formam.

## V.

Subjectum proximius, Quartanariam hancce calamitatem continens opinor, ponendum esse in tota humorum omnium totius corporis congerie, quippe quæ conjunctim considerata pro *genuo* vitiatæ dispositionis hospitium præbet, uti morborum fere omnium qui scilicet inde dependeant, ita etiam omnium Februm intermittentium & continuarum. Qua ratione non excludimus viscera corporis, quatenus nimirum suam operam & in massæ sanguineæ elaboratione & depuratione ejusdem conferunt.

## V I.

Quemadmodum jam sanguis cum aliis liquoribus corporis in puritate ac motu decenti corpus libere transiens & permeans integram valetudinem prout nimirum Individualis fert constitutio demonstrat & conservat; ita experimur humorum corporis nostri motum citatiorem factum, ansam præbere diversis morbis, exque illorum caractere vitiatò, & hoc vel illò magis prædominante diversas pro creari affectus.

## V I I.

Proin etiam hunc motum præternaturalem in Quartana massæ sanguineæ sc. peculiarissimè depravatæ causam immediatam statui posse arbitror, & ut alia accidentia in Quartanis obvia multiplicia præteream, pulsum semper mutatum, urinamque variè sese ostendentem, tanquam certa Indicia motus præternaturalis, doctioribus  
confi-

consideranda relinquo: Quæ ex violentiori modo & motu excitata spiritus corporis humani rectores & functionum authores in inordinatum ac excessivum imperum cient ac perturbant.

V I I I

Cum autem massæ sanguineæ omnium morborum exorta impuritas plures agnoscat causas, & externè ex rerum sex nonnaturalium vitio obvenientes & interna etiam ex viscerum vitiò contracta, mediatas exponere licebit debilitatem viscerum concoquentium ut & depurantium errores, ubi nimirum ex Ventriculò male affectò aut debilioris concoctionis, indeque collectis pravis humoribus, sentina morborum colligitur. Quid viscera sanguinis massam depurantia, inque peculiaribus locis recrementa separantia ex intermissò officio, ad quod expediendum à Creatore & natura sunt destinata in prognerandis morbis & Quartanæ etiam contribuunt, jam dum liquet, nec erit opus prolixo discursu proferre morbos alios Quartanæ Authores. Testatur enim experientia ex morbis lienis Pancreatis aliorumque viscerum dispositione p. n. indeque insigniter acore hostili depravatis aut coagulatis Tartareis humoribus sæpissime nasci Quartanas, formæ scilicet in iisdem hærentis & sese multiplicare conantis productum.

I X.

Insuper pluribus demonstrare verbis excessus rerum sex nonnaturalium ita dictarum fere non dijudico necesse esse, cum tyronibus etiam notum fiat, quid aëris mutatio secundum decursum temporum corpori humano afferat morborum seriem, dum vernum tempus, æstas autumnus & hyems quodvis peculiare suo genio proferat affectus, ut nimirum Individuum quodvis ratione suæ Idiosyncrasæ, climatis, victus, sexus, ætatis, suos patiatur manes, quos in genere multa pars hominum experitur: Nam de illis affectibus qui plures ex epidemicâ malignitate & speciali aëris & humorum corruptionem corripunt, hic non est sermo errores in cibo & potu communiter grassantes hic non enumerabimus, cum pagina in illis omnibus adducendis non sufficiet, alia ad sanitatem conservandam adminicula, quæ motu & quiete conveniente, sumnoque ac Vigilis Individuo, exvis congruis sanitatem conservant attingere supervacaneum judico, potentiores autem massæ sanguineæ motus ex animi pathematibus oriundos maximi momenti esse arbitror, utpote quæ gravissimorum morborum & symptomatum existunt authores,



res, uti cuivis in Praxi medicâ leviter versato contingit, & ipsa experientia confirmat. Quid animi & humorum corruptiones seu commotiones ex ira, terrore, tristitia, aliisque fortuito vel sine vel cum vehementia accidentibus symptomatibus progenerent portenti eò usque, ut sæpissimè inde vitæ immineat periculum, obvia sunt innumera exempla, nec ulterius silentio prætereundum. In excretis ac retentis enatum aut oriundum vitium, cum ex utroque excessû aut defectu nec solum Quartana, sed aliæ etiam morbi interdum desperati emergere soleant. Faciles enim natales adipiscitur morbus ubi femina ejusdem in humoribus corporis hęc aut illò modò depravatis latent, qui datâ occasione formam suam spiritibus vitalibus contrarium ostendant. Omnem hic proponere ansam, unde Quartana aliive morbi enasci potuerint & supervacaneum dijudico & etiam difficile: in eo autem omnes Quartanæ intermittentis causas concurrere opinor, quod humorum corporis peculiariter in qualitatibus salinis & Tartareis depravatorum abundantia fomitem subministrat, eò caractere, ut ex natura illorum crassiori ac magis tenaci celerior coctio ac maturatio, quam quartò quoque die celerior perfici non potuerit.

## X.

Quemadmodum non rarò accidit Febres quinta aut etiam nona die tantùm ob humorum Salinorum terrestrem ac crassum motum fuisse obortas. Nec curatio Quartanarum aliter testatur ac testabitur, quod Quartanæ semper in maximè crudis ac coagulatis humoribus, in primis viis ac vicinis visceribus latitantibus resideant, quorum vitiosum characterem cujusvis Individui laborantis peculiaritas & symptomatum indoles simul cum necessaria & conveniente curatione demonstrabit. Et hinc negari non potest specificè corruptorum Quartanam habere fomitem in pontico styptico austero æruginoso sale, prout Individuum est dispositum, & causarum efficientium cooperatio consistere ut plurimum in remotioribus meatibus viscerum collectum, à cujus rarefactione aut concoctione tardiori aut faciliore recursus paroxysmorum dependet. Necesse enim est, ut ex materia corrupta Quartanam efficiente, sensim ac sensim propullulent peregrinæ exhalationes, quæ collectæ demum suò tempore vitiosum fermentum toti humorum massæ communicant, à quarum commixtione motus sanguinis fit major, paroxysmus ingruit, atque ita totum corpus suis symptomatibus occupat.

Utplu-

## I N A U G U R A L I S. ¶

Ut plurimum autem in Quartanis lien cum Ventriculo magis est affectus, quod & difficilis & tardior non raro etiam violenta per vomitoria curatio, uti in omnibus lienis morbis & melancholicis fit & fieri debet, demonstrat.

### X I.

Atque hinc Quartanæ peccantem materiam pertinacem magis esse, quam aliarum Februm intermittentium, ostendit earundem facilior curatio, præsertim magis amica cooperante aëris tempestate, quæ tertianis Febris faciliorem ac citiorem concedit abolitionem: contra autem Quartanæ natales suos ut plurimum nanciscuntur autumnalis existente inæquali tempore. Negari hic posse non crediderim, quod aëris dispositio, diversis ejusdem atomis alterata in concitandis & curandis morbis maximum momentum conferat, uti per observationes liquet, sæpius Quartanas communiter grassantes ex aëris vitio fuisse enatas. Et quid magis sumus solliciti de causis investigandis.

### X I I.

Videamus etiam Quartanarum variam differentiam quæ illas exhibet mitiores aut vehementiores cito aut tarde curabiles, simplices aut cum aliis accidentibus commixtas in Senibus aut Juvenibus proprio humorum vitio aut ex illegitimo sex rerum nonnaturalium usu procreatas, uti non raro accidit ex obstructionibus lienis durioribus, suppressis mensibus, animi afflictionibus emergere. Ipsa praxis certis ante oculos ponit discrimen in ipsis ægris harum Februm, quam latius describi potest. Subjectum namque ipsum laborans, ipse modus morbi & ejusdem causæ cum tempore anni, rem ipsum planam faciunt. Brevitati igitur studentes, delibabimus etiam Indicia illa, unde Quartana illa potest cognosci & indagari, cum conspectareo illius eventu.

### X I I I.

Imminentem Quartanam vel potius suspicionem futuræ interdum indicant habitus corporis ac faciei muratus, tempus autumnale, tempestuosum, nebulosum, temperamentum humoribus crassioribus ac tartaribus inquinatum, passionibus sinistri lateris circa lienem, errores in diæta commissi vehementiores, graviora prægressa animi pathemata ex ira, tristitia, timore, ac terrore; lucubrationes nocturnæ, suppressiones consuetarum evacuationum, intempestiva Individui cujusdam refrigeratio: & alia, præsentem jam

ipse paroxysmus prodit cum suis symptomatibus non raro sat periculosis. In principio quidem fere blanditur ac levi accessu captat benevolentiam, successu autem temporis & aliquoties redeuntibus paroxysmis sensim eundo vires acquirit, & demum pro obtinendo hospitio, summa licet cum nausea ægri acerrimè dimicat aperta vi suas observans periodos.

## XIV.

Prognosis hujus mali invulgis innotuit ignominiam Medicorum, ut eorundem nomine nominetur opprobrium, & inveniantur Medici, qui curationem Quartanæ ut medicamentis etiam nobilibus & expertis debellandam in se non suscipiant, ut plurimum autem ea, si convenientibus suo tempore & dosi medicamentis non obviamitur, peccansque materia, per sua emunctoria, cum formæ illius in humoribus adhuc hærentibus plenaria abolitione, non educitur aut corrigitur, degenerare solet, in alia adhuc graviora mala & morbos, hydropem cachexiam asthma podagram calculum & ejus generis infensissimos sanitatis hostes, cujus miserandæ catastrophes exempla passim videre licet in vivis & Medicorum observationibus, quod si interdum robustior natura insultus hosce Quartanæ perferat ac concoctis aut hoc vel illo modo eliminatis peccantibus crassioribus humoribus, hic aut ille iterum sanitatem integram adipiscatur ferè pro miraculò aut inconsueta habetur.

## XV.

Si hic meam asserere opinionem, juniore liceret, eam foverem, quod mitius patiatur Febris Quartana præfagium, cum viderim, eas Quartanas sæpiusculè & fere semper non adèdè longo temporum spacio feliciter & radicitus curatas. Ad quem scopum citò tutò & jucunde obtinendum, quoad ejus fieri potest, Medico à divino Numine concessum brevibus curationem expediam.

## XVI.

Hæc autem duplex est, in ipsò paroxysmò ubi interdum periculosa affligunt symptomata, quibus necessariò succurrendum nobilibus remediis, ne vires ægri plane fatiscant, & extra paroxysmum, ubi de causis removendis Medico datur occasio.

## XVII.

Ante paroxysmum fere semper conveniunt ratione Individualis dispositionis aperientia Tartarea Salina & quæ motum intempestivum humorem aut sedant aut demulcent, atque per urinas, sudores,

res, in sensibilem transpirationem aut etiam per alvum, corruptam Quartanæ saburram ablegant. Excellunt Sal. Holsaticum, Salia volatilia in medium statum redacta. Mixtura simplex Camphorata, spiritus Bez. Buffii, Sal. viperarum & pulvis viperarum. Flores Salis Ammoniaci Martiales, Salia plantarum, sanguinem depurantia, antimonata ritè præparata medicamenta, Bez. Min. & Solare & alia innumera hinc & inde ab Authoribus annotata remedia; Corticem peruvianum ut hujus etiam meminerim suspectæ vidi fidei, utut paroxysmum ingruentem sæpiusculè retardet, aut plane extinguat, minus tamen illo usi à recidiva sunt immunes. Testatur enim experientia mille exemplis insufficientem ejusdem incurandis intermittentibus efficaciam. Proin uno & altero effectu cinæ bono, dum Febres fuerunt sublatae, universalis in omnibus abigendis intermittentibus, nostris in locis non potest demonstrari, ipseque eventus non aliter contestatur. Lapidem Bezoard. or. & occid. & alia ex regno animali desumpta, majoris operationis existimo, cum viderim sæpissimè semel aut bis seu ter justa dosi tempore adhibitis Febres evanuisse, aut largò subortò sudore, aut copiosiori emissâ Urina. Non autem hæcce & alia nobilissima medicamenta, licet illorum virtus multum valeat solum intermittentium medela esse possunt cum extra paroxysmum ad præsertionem illorum plura sint necessaria. Hic namque consideratio instituenda & Individui affecti temperamentum ætas, sexus victus ratio clima & hinc existentes causæ, quæ nimirum subortæ Febri natales dedere.

## X V I I I.

Inde pensitatis circumstantiis videndum, ut commodis aperientibus & evacuantibus colluvies corruptorum humorum per vices possit ablegari, ut eò melius dein generosiora remedia pravam humoris peccantis qualitatem corrigere atque ingruentes periodos sensim ac sensim averruncare possint. In aperientibus laudantur Martialia & Tartarea Salia item fixa ac volatilia, semper ratione Individui laborantis eligenda. Inter evacuantia experta habemus & vina medicata & decocta ex herbis vulnerariis cum fol. senn. & rhabarb. & præprimis rad. Helleb. nigr. Concinnari etiam possunt pilulæ ad eundem effectum collimantes varii generis, subsequentes hæcè optimi effectus sæpissime vidi & expertus sum.

℞. *Mass. Pilul. Catholic. Mynsicht.* ʒʒ.

*Resin. Jalapp.*

*Scammon. a. ℥ij.*

*Sal. Succin. Vol. a. ℥i℥.*

*Trochisc. Alband. ℥ij. ℥ij.*


*Balsam. Vit. S. Peruvian. ℥ij.*

*M. F. Massa.*

Plures formulæ abundant in libris & observationibus Practicorum. Satius enim esse & celeberrimi testantur Medici & experientia comprobant, quod sublata causâ, eò citius etiam effectus cesset & evanescat. Non ignota mihi quorundam opinio, qui neglectis & aperientibus & materiam vitiosam evacuantibus, Quartanæ curam diaphoreticis & diureticis absolvere volunt, utpote per quæ remedia corrupta humorum enormiter depravatorum, qualitas citius ac tutius possit inverti atque eorundem saburra abundans resolutiva medicamentorum efficacia extingui: Cum autem Quartanarum ut & Scorbuti aliorumque Chronicorum morborum radix in viscosis ac peregrino caractere Salium depravatorum imbutis austeris acidis æruginosi ponticis liquoribus & succis dependeat quorum vitiosa qualitas sanguineæ massæ communicata abundantia autem & crassitiè, sua Ventrem infimum & inibi contenta hæc aut viscera, lienem cum vasis suis minutissimis Pancreas mesenterium occupet. Consultum videtur magis esse, colluvie ac sentina viscidorum humorum congrua correctione & evacuatione demum Quartanæ curam ac eradicationem diureticis ac diaphoreticis aggredi. Nec dubito, quin etiam alii Expertissimi Medici idem mecum sentiant. Doctioribus autem atque plurima experientia pollentium iudicio meliora edoctus me lubens subijcio, non inscius curæ cujusdam miraculosæ, quam Peregrinus quidam in Quartanariò ac Cachecticò desperatò beneficiò unius doseos parvæ, pulveris ruberrimi absolvit, subsecutò largissimò malè olente maximopere autem spiritus resciente diaphoresi per horas aliquot durante; unde ægrotus Quadraginta fere annorum simul & semel in integerrimum statum fuit restitutus. Dum autem non omnibus adire licet Corinthum, atque ejusmodi arcana adipisci remedia contenti debemus esse, quæ si non simul & semel, successu tamen temporis in gravissimis morbis tandem auxilium ac sanitatem iterum afferre possunt. Hinc magni faciendum est antiquartanarium Riverii, modo rectè illud obtineri possit, Petri Poterii antidotus lisyretos ejusdemque acutissimi ac felicissimi Medici alia exasciatæ præparationis & efficacis remedia; nec laude

laude sua depravari debent egregia remedia & observationes Petri Joh. Fabri solertissimi Chymici. Alios jam adducere lubens superse-  
deo cum in omnium manibus celeberrimi Practici versentur, qui  
innumeris remediis prolixaque methodo hanc materiam tractarunt  
& elucidaverunt, quemadmodum secundum varias causas Quar-  
tana, morbus ille pertinax ac Medicorum dictum opprobrium ex-  
pertis remediis feliciter & etiam citò possit curari cum omnibus  
suis etiam periculosis symptomatibus tandem evinci, uti succinctè  
ejusmodi curationis, Quartanæ scilicet, mihi vidisse contigit non  
unum exemplum. Diæta non est prætereunda, cum in eâ præcipua  
consistat curatio. Per bonam enim Diætam vires maximoperè con-  
servantur, spiritusque vitales reficiuntur; sit igitur cibus suavis,  
succo laudabilis facilisque digestionis. Potus tenuis atque calidus:  
ne in quantitate peccetur, probe prospiciendum, aliàs Ventriculò  
summè debilitatò & depravatò, mala sequetur concoctio & inde crudi  
humores, ex quibus malum continuò augetur. Vitanda itaque  
omnia nimis crassum Salinum atque chylum acescentem suppedit-  
tantia, ut carnes salitæ, fumò duratæ, suillæ, pisces lactinia &  
dulcia alia; item omnis excessus sex rerum nonnaturalium. Ab-  
stinentiâ & quiete multi magni morbi curantur teste *Celfo*.

F I N I S .



ANA-

ANACREON IN HONOREM

*Politissimi ac Eruditissimi*

VIRI-JUVENIS

D. GEORGI HENRICI RÖMPLERI,  
LANGENSALZA-THURINGI,

*Pro Laurea Doctorali in Medicinâ Disputantis.*



N Candidate docte,  
Amice care, docte,  
Quid ergo cantitabo,  
Hâc luce cantitabo,  
Pro more cantitabo,  
Honore cantitabo,

Favore cantitabo.

Num sæva bella dicam

Num dira bella dicam

Germaniæ misellæ?

Multis modis misellæ?

Non sic : ROMPLERRIANA

Sunt Festa cantitanda,

Sunt Festa comprecanda.

Mea Musa, sume plectrum

Ast non Maronianum,

Ast non Horatianum,

Ast non Ovidianum,

Nec jam Catullianum,

Nec jam Propertianum,

Mea Musa, sume plectrum.

Mea Musa, sume plectrum

Anacreonticellum,

Illud

Illud suave plectrum,  
Et gratulare multum  
Et comprecare multum  
Longissimam salutem,  
Gratissimam salutem,  
Suavissimam salutem,  
ROMPLERRIO polito  
Dic optimam salutem,  
Fautissimamque vitam,  
Diutinam salutem  
Longissimamque vitam.  
En Candidate docte,  
Amice care, docte,  
Hygeja grata plectit,  
Meditrina culta nectit  
Venustulas corollas  
Honoris ac Decoris,  
Decoris ac Honoris,  
Rotundulas corollas,  
Argenteas corollas,  
Et aureas corollas  
Favoris ac amoris,  
Amoris ac Favoris,  
Corollulasque doctas  
Doctas corollulasque  
Laboris ac Leporis,  
Leporis ac Laboris  
Meditrine culta nectit,  
Hygeja grata plectit.

Favete nunc Camœnæ,  
Cum Gratiis Camœnæ,

Tra-



Trajecticæ Camœnæ,  
Thuringicæ Camœnæ,  
Et Misnicæ Camœnæ,  
Gaudete nunc Parentes,  
Piissimi Parentes,  
Gaudete nunc sorores,  
Dulcissimique Fratres,  
Gaudete nunc sodales,  
Suavissimi sodales.

Quicquid per astita vivit,  
Quicquid in urbe vivit,  
Canendo, jubilando,  
Gaudendo, cantitando,  
Manu benigniore,  
More elegantiore,  
Dicat licentiore,  
ROMPLERRIO polito  
Dulcissimum salutem,  
Lætissimam salutem,  
Fauftissimam Salutem.

En Candidate docte,  
Amice care, docte,  
Vale, vigesce, cresce  
Nunc Nestoris per annos,  
Longissimos per annos.

*Ita novis. D. Candidati honoribus animitus gratulatur*

AUGUSTINUS SEGIUS, Langensalzâ-Thur.

Ph. & Med. D. ac Consul Worcum. Fris. &c.